

Aesopus (Romulus Anglicus) 1-10

[1] de gallo et iaspide.

Gallus, dum escas suas quereret, invenit margaritam in minus digno loco latentam. Quam ut vidit, sic ait : Quare in sterquilinio iaces? Si homo gemmarum cupidus te invenisset, per eum ad splendorem tuum redires, et decores vultus tui reciperes. Ego vero qui te inveni, potius escam quam te quesivi, nec tibi honorem faciam, quia te mihi non video necessariam.

Moralitas. Sic stultos arguit Aesopus, qui sapientiam invenire non curant, quia eam sibi necessariam forte non cognoscunt.

[2] de lupo et agno.

Lupus et Agnus simul de rivo biberunt; sed Lupus erat in parte superiori et Agnus in inferiori. Lupus itaque, cum haustum fecerat, erexit se et dixit ad Agnum : "Tu qui lanam in deceptione portas, semper meis offensis insistis." Agnus vero, ad hanc vocem trepidus, timide respondit et humiliter : "Domine potens et tremende, quare tam aspere mihi loqueris innocenti? Quas enim offensas possem parvulus ego tibi inferre?" Et Lupus ait : "Tu turbas aquam, quod inde gustare non possum." Responditque Agnus : "Mira sunt quae dicis; quia, cum tu sis superius et ego inferius, quomodo possum tibi aquam turbare? Sed occasionem adversum me quaeris, sicut qui vult ab amico recedere." Tunc ergo exasperatus Lupus ait iterum : "Tu minis (sic pro nimis) es garrulus et iurgia mecum multiplicare praesumis, sicut pater tuus, qui, nondum transactis sex mensibus, de eodem in hoc loco mihi servivit, quod in te merito redundabit." Et ait miser Agnus : "Cur sic in me illas patris culpas refundis, qui nondum natus eram?" Tunc raptor ait : "Sic mihi respondes in omnibus, et reclamare non cessas? Irruensque in eum, guttur eius crudeliter apprehendit et finem fecit verborum."

Moralitas. Sic tyranni faciunt : cum innocentium res vel mortem cupiunt, sive iuste sive iniuste eos spoliant et opprimunt.

[3] de mure et rana.

Mure in ostio molendini super limen residente, supervenit Rana de gurgite progressa, et Mure salutato cuius illa domus esset eum interrogavit. Quam suam esse respondit. Rogavit ergo illum ut ipsam nocte illa hospitio suo colligeret. Cui Mus respondit benigne, et eam intrare iussit, et adduxit eam superius ad hortanum, factaque hora cenae apposuit ei grossam farinam, et minutam, et rogavit illam diligenter, ut comederet ea quae haberet, dicens quod, si meliora essent in domo mea, libenter apponeret ea. Et placuit Ranae locus et cibus. Sed cum potus diu expectatus non venit, Rana, potibus assueta et sicca farina repleta, tristis resedit et potum deesse minus aequae tulit, et dixit quod mallet esse sub molendino absque tali cibo quam supra hortanum sine potu. Cui Mus dixit molestum sibi esse quod oblata minus placerent, et iuravit se numquam una nocte tam bene procuratam fuisse et de inpensa illa se velle recompensationem habere dixit. Talibus igitur auditis, Rana respondit, quod, si secum vellet ad sua transire, ipsa sibi vicem reddere vellet, cibum cum potu administrans in copia; favitque Mus dictis eius, et se promittit iturum. Mane igitur facto, adgressi sunt iter, et Rana per pratum se rexit ad fluvium, Mure comitante. Erat autem rore plenum, et via Muri difficilis, volebatque desistere; sed ipsum Rana confortavit et in vicino esse domum suam dixit. Tandem itaque, prato vix a Mure superato, venerunt ad fluvium, et ait Rana : Hic transeunda est nobis aqua, ut ulterior ripa nos recipiat, in qua est domus mea ad quam tendimus. Fessus igitur Mus, et longiori via taediatus, ad Ranam sic inquit : Amicitiam vestram invitus perdo; sed hospitium vestrum adire nequeo, quia, rore prati adhuc gravis, aquis istis me committere non audeo. Ait ergo Rana : Turpe est modo desistere et viam brevem non perficere; quod si fessus es et debilis, ego fortior iuvabo te, ne in aqua deficias. Sic ergo faciemus : filum nobis alligabimus, tu in collo, et ego in pede meo, et te trahendo relevabo. Sic Rana dixit, et Mus rem verbis aptavit. Ipsis itaque in medio flumine iam positus, Rana loquax exclamavit : Ego, confisa meis nimis viribus, iam deficio, et ad fundum ducor peritura;

sponteque se mergens Muri machinata est naufragium. Mus autem, Rana trahente iam secundo submersus, sursum tamen rediens, rem male geri intellexit, et litus relictum respiciens, illuc redire voluit. Ortumque est ibi litigium illis in partes trahentibus : Rana namque ad fundum tendebat, et Mus ad litus trahebat. Dum enim sic distrahunt illi, Aquila, quae forte spectatrix aderat, miserum diremit duellum, Murem unguibus arripiens, et annexam Ranam similiter trahens. Quae, cum se ad mortem trahi videret, sic fertur locuta fuisse : Qui socio suo parat opprobrium, non immerito cadit in laqueum.

Moralitas. Haec malis et fallacibus dicta sint, ut minus decipiant, ne et ipsi decipiantur, quia qui proximo tendit insidias, ipse quandoque incidit in eas.

[4] de cane et ove.

Canis traxit Ovem in causam pro pane, quem se dixit illi concessisse. Sed Ovis hoc factum negavit, dicens se numquam panem a Cane mutuasse. Iudex ergo si testes haberet huius rei vel fideiussores Canem interrogavit. Qui duos testes nominavit : Lupum scilicet et Milvum. Et iudex ab illis veritatem requirit. At illi testimonium veritatis Cani dederunt, quia partem habere sperabant in Ove, si damnaretur. Iudex ergo praecepit Ovi quatenus de debito suo Cani satisfaceret, ex quo idoneis testibus convicta esset. Sed illa misera nihil praeter lanam habuit, quod dare posset; et hiemps erat, et Canis fortiter instabat. Ovis ergo, lanam exuens, Cani eam praesentavit, et nuda remansit. Canis autem, hac satisfactione non contentus, in pellem ipsius agit, et irruens super eam cum falsis testibus suis, Lupo et Milvo, miseram illam miseriorem reddit.

Moralitas. Sic perversi et fallaces faciunt, quando res aliorum appetunt : cum suis complicibus tractant et agunt qualiter iudiciis suis eos subvertere possint.

[5] de cane qui caseum tulit.

Canis per pontem transivit perspicui et puri fluminis et caseum in ore tulit. Cuius dum umbram in aqua perspexit, alium esse caseum existimavit. Saltu igitur rapido se in

flumen precipitans, dum illum apprehendere voluit, ipsum quem tenebat amisit. Sic ergo ille voracitatis suae causa, quod habebat amisit, et quod cupivit non apprehendit. Moralitas. Sic homines avidi sua saepius amittunt et aliena optinere nequeunt.

[6] de leone et bubalo.

Leonem omnibus bestiis dominari dicunt; Bubalus vero est eius iustitarius, et Lupus prepositus. Leo igitur, cum duobus his sociis venationem ingressus, cervum cepit; de cuius partibus cum Lupus Bubalum interrogaret, in Domini voluntate eam pendere respondit. Tunc ergo Dominus : Prima pars primum decet; secundam quoque tollere volo, quia sum socius. Sic itaque quasi ex iure duas sibi partes ascripsit. Adiecit etiam et ait: Qui in tertiam partem loqui voluerit, regis iram suscitabit. Tunc neuter ausus fuit istis obviare decretis. Et Leo, quia primus erat, primam tulit partem, quia socius fuerat, accepit secundam, tertiam quoque habuit, quia offendi noluit. Sic igitur illi, recedentes, vacui caudam et caput Leoni dimiserunt.

Moralitas. Cavendum est homini summopere ne potentiori se velit sociari, quia dominus semper ad primatum contendit; et, si qua forte eis cedant communia, sive ioco, sive serio, dominus maiorem partem suo subscribet titulo.

[7] de leone et sociis.

Alio etiam tempore Leo, in venationem iturus, alios habere voluit socios. Assumpsit ergo Vaccam et Capram et Arietem. Ceperunt et ipsi bestiam, et de partibus egerunt, quatuor volentes facere partes, quia tot fuerant in venatione socii. Sed Leo ait : Pati satis volo, quot quatuor fiant partes; sed quia rex sum ergo, prima pars erit mea; secundam vindico, quia vobis sum fortior; tertiae velocitati meae debetur; quartam quoque que rapere velit, non remanebit amicus Caesaris, et, nisi in manu valida, poterit fieri rapina talis. his ergo auditis, socii dederunt terga, et Leo solus remansit ad partes. Moralitas. Ut prius habuimus, dominus non potest esse socius, quia primam vult habere partem, quia primus, secundam ut socius, tertiam ut dominus.

[8] de sole.

Soli placuit ut uxorem duceret, et de legitima conformes sibi liberos procrearet. Cuius rei fama statim per orbem divulgata est, et doluit universa creatura, grave periculum inde previdens futurum, et altius sapientes ad invicem dixerunt : Vix eius dominium tolerare potest mundus, aestate cum fervet et ignibus suis accensis ardorem nobis ministrat. Quid igitur erit, cum sponsa sua et proles futura multiplicatis arboribus (sic pro ardoribus) dominari incipient? Et clamantes in celum, Iovem et Superos querulis vocibus pulsabant, et omnes una voce rogabant caelicolas, quatinus hoc incommodum vellent avertere et orbem suum defensare. Jupiter ergo, suis vocibus et istis commotus, dixisse fertur Superiorum consilio : Si igitur tam nociva fieri possunt Solis connubia, volumus eum sicut ante sine coniuge remanere et liberis.

Moralitas. Ista fabula docet melius esse habere unum dominum quam plures, quia, si plures fuerint, quilibet sibi vindicat honorem et servitium, cui sufficere nequeunt subditi, et illis pro honore disceptantibus nescit populus cui adhaereat vel sub [quo] tutius vivat. Hinc oriuntur rapinae, vastaciones, homicidiae (sic pro homicidia), timores et cetera.

[9] de lupo et grue.

Dum Lupus, assumptis carnibus, os avidè roderet, ossis particula gutturi eius forte adhesit, et magnum illi dolorem fecit. Lupus ergo, potens in curia Leonis utpote summus praepositus, bestias adesse iussit, cupiens ab aliqua laboris sui et periculi audire consilium. Quaesivit ergo si aliqua(m) artem medendi novisset, qua sibi subvenire posset. Et quaedam discreta Vulpecula esse potuit et eloquens Lupo respondit : Inter nos nec bestiam scimus nec avem, idoneam in hoc articulo medicam, que scilicet sciat vel possit in hoc periculo subvenire tibi, praeter solam Gruem, cui colli longitudo rostrique durities huius rei aptitudinem praestant. Grus ergo ad periclitantis Lupi vocatur praesentiam, et super hac consulitur necessitate. Quae salutem illi promittit et medicinam, si merces eam reddat benivolam. Lupus itaque, his verbis

consolatus, se in tante necessitate divitiis nolle parcere dicit, et magna promittit, dum solummodo curam accelerare vellet. Illa igitur, rostro suo gutturi eius inmisso, materiam et causam de collo laborantis sapienter evexit, et optatam praestitit illi salutem, et promissa exegit ab eo munera. Cui respondisse dicitur ille: Numquid magna pietatis meae munera recepisti, cum de gutture meo caput tibi sanum dimisi? Si esses ergo sapiens, hoc munere contenta fores, cum tu manifeste scias gruinis carnes [me] maxime desiderare in ista infirmitate.

Moralitas. Sic divites, superbi et inmites de pauperibus faciunt, qui sub eis sunt et sub eis serviunt : ipsis videtur, quod satis mercedis laborum suorum recipiant, in eo quot sub illis victitant et manu teneri ducuntur ab ipsis.

[10] de canicula volenti parere.

Canicula feta, volens catulos edere, cum locum aptum non inveniret, vicinam rogavit, Caniculam, ut eam in hospitio suo colligeret, donec partus suos in lucem protulisset. Vicina itaque benivola, videns illam in angustiis positam, exaudivit eam et audacter intrare precepit. Partu vero facto, statim iussit ut illa sibi aliud inveniret hospitium, quia eam pre angustia domus pati non potuit. Illa autem, recenti partu adhuc languida, instat, et rogat eam ut patiatur usque dum catuli sui ludere possint et saltare, et hospitia (sic), victa precibus, concessit ei quod optavit. Post haec vero, dum catulos ludere videret et saltare, iterum eam monuit ut exiret domum suam et aliam acquireret, et hiemps erat media. Mater ergo catulorum rursus ait ad illam : Quo animo potes talia loqui, et ita nos urgere, cum iam gelidus Boreas nives volvat et glacialis bruma omnem bestiam constringat? Sed age misericorditer nobiscum et humane, tollerando nos usque ad amena estatis tempora, cum exire poterimus et discurrere. Hospita igitur, iterum placata, usque ad aestatem eos toleravit. Facta ergo aestate, iussit illam sine omni contradictione domum suam vacuare, quia nec prece nec pretio ipsam de cetero pati vellet. Videns ergo illa quod prece nihil amplius faceret, ivit ad minas et ait : Debilis est satis vestra potestas, et mirum est si putetis quod sola nos omnes expellere

possitis. Meo ergo consilio verbis vestris parcatis, quia fortes sunt modo catuli mei et feroces. Quot si minari volueritis, ve vobis, ve pellibus vestris! et domus quam vestram dicitis, in nostros veniet usus.